



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacramentis, Mille Sexcenti Errores, Vaniloqvia, Et Cavillationes

Miletus, Vitus

Mogvntiae, 1593

VD16 M 5205

De Sacramento Ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30094

bere. *Caluin. loc. cit.* Sed mittamus librum illum, qui non Augu-
stino, sed Gennadio inscribitur, in eodem sanè tam multus de
satisfactione sermo, vt mirum planè sit, qua Calvinus fronte
scribere audeat, ex illo suo malè cit. loc. apparere, illis quoque
sæculis irritam fuisse pæsim satisfactionis doctrinam. Sed nec
peccatorum radices perfectè excideris, si satisfactionem non ad-
hibueris? tolle enim pœnam, à peccatis quis abstinebit? quis non
facile peccatis aditum reditumq; indulgebit?

1571. Omnium optimam & saluberrimam esse pœnitenti-
am vitæ prioris emendationem: Atqui à peccatis desistere non
est de peccatis pœnitentiam agere: Deus autem non exigit tan-
tùm cor mundum, sed etiam cor contritum & humiliatum, lu-
ctum, plañctum, cilicium, saccum, ieiunium, orationes, eleemo-
synas, corporis castigationes, & similia. Hæc scriptura laudat, *Psal. 50.*
hæc commendat, hæc postulat, hæc Deum placare, pœnasq; mi- *2. Reg. 3.*
tigare, affirmat, &c. Hæc omnia pij vereq; pœnitentes, ex se- *Ierem. 4. 6.*
meriphs, non expectata scripturæ vel iudicis sententia, vtrò fa- *1. Coel. 1.*
citant, an facienda sint non disputant, sciunt enim Deum pec- *Exec. 7. 17.*
catis offendi, pœnitentia placari, bonis operibus promereri, &c. *Dan. 4.*
Amos 8.
Tob. 4.
Luc. 13.

2. Cor. 4. Matth. 19. Heb. 13.

*Liquet ex omnibus quæ diximus, eos omnes, qui ab Ecclesia Ro-
mana secesserunt, nullam habere veram & salutiferam pœnitentiam, nul-
lam peccatorum Absolutionem, nullam cum Deo reconciliationem, nullam
beatitudinem. Aliud si quis sibi persuadeat, à vera scripturarum
semira & sententia longè aberrat.*

DE SACRAMENTO Ordinis.

1572. **O**rdinationem Ministrorum legitimam, non esse Sacramentum. Atqui esse, Philippus non negat. *Ex Remo in 2o
part. Examin.
cap. de Ordine*
Supr. de Sacr. in gen.

ZZ

1573.

Millesexcenti Errores,

1573. Philippum in Apolog. non propriè, sed largo dumtaxat modo, Ordinationem vocare Sacramentum. *Kemn.* Cum aliud ad Sacramentum propriè dictum Philippus non requirat, quàm Ritus, Mandatum & promissionem, atq; hæc tria Ordinationem habere affirmat. Quin Sacramentorum omnium reus Lutherus aliud non requirit, quàm mandatum & signum tom. 7. de Adorat. Sacram.

1574. Quicquid sit de sententia Philippi, vel aliorum quorundam Lutheranorum, Ordinationem nec esse, nec propriè dici posse Sacramentum. Atqui non solum Philippus, sed tota id afferit, semperq; asseruit Ecclesia Catholica, omnes Patres, omnes Orthodoxi, omnes Theologi, omnes Scholastici, An his potius, quàm Illyrico, vel nescio cui adhibenda fides est *Kemn.*

1575. Non mouere nos debere, quid alij hac in parte dixerint dicantq; sed quid Christus dicat, hunc enim, & non alium, esse audiendum: At si hic audiendus, minimè ergo audiendus est Lutherus vel Calvinus, maximè cum Christus Ordinationem nec propriè nec impropiè Sacramentum appellet.

1576. Ordinationem non habere externum ritum seu symbolum in Verbo Dei expressum. *Kemnit.* Quid est ergo manuum impositio? An in verbo Dei non expressa? Act. 6. 13. 14. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1.

1577. Apostolos vsos quidem fuisse in ordinandis Ministris manuum impositione, non tamen ad Ordinationem, sed ad orationem, qua Deo commendabant ordinandum. *Kem.* Cum iisdem planè in locis, ipsa distinguatur ab oratione Ordinatio, sic enim legimus, *Ieiunantes & orantes imponentesq; manus dimiserunt eos.* Et qua quæso parte, verba illa Pauli, *Nemini manus citò imposueris, neq; peccatis communicaueris alienis,* Orationi accomodabis? An enim non facilè orandum pro aliis? An peccatis communicat alienis, qui orationem fundit pro aliis? Deniq; si quis per hanc ipsam Orationem, quæ cum manuum impositione coniungebatur, formam velit Sacramenti huius intelligere, quomodo reprehendi vel refelli possit ex verbo Dei, non video.

1578. Ord.

Act. 13.

2. Tim. 5.

1578. Ordinationem non habere promissionem gratiæ in sacris literis expressam. Cum expressè scribat & moneat Apostolus, *Ne negligamus, sed resuscitemus in nobis gratiam, quæ data est nobis, per manuum impositionem presbyterij?* An ergò nullam habet coniunctam gratiam Ordinatio presbyterij? 1. Timot. 4.
2. Tim. 1.

1579. Promissionem illam, non esse de gratia iustificante & peccata remittente, cuiusmodi in Sacramento requiratur. *Kemn.* At talem gratiam, in quouis requiri Sacramento, *Kemnitius* dicit, Apostolus nullus dixit. Supra de Sacram. in genere.

1580. Gratiam illam, quam per manuum impositionem Apostoli conferebant, gratiam duntaxat fuisse gratis datam: At hoc gratis dicitur, nullo nec scripturæ, nec Patrum aut Ecclesiæ suffultum testimonio.

1581. Ordinationem non habere mandatum in sacris literis expressum. Quid est ergò, quod in sacris dicitur literis, *Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ministerij?* *Actorum 13.* Item, *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus, regere Ecclesiam DE I, &c.* *Actor. 20.* Item, *Ne cui manus cito imposueris?* *&c.* *1. Tim. 5.* An nullum mandatum? Et si etiam mandatum extaret nullum, An non sufficeret Apostolorum exemplum?

1582. Apostolos absque manuum impositione fuisse ordinatos. *Kemnitius.* At hoc quo scripturæ testimonio? An idè probatum, quia non scriptum? sed demus, sinè manuum impositione immediatè fuisse vocatos & ordinatos, ab ipsis tamen sine ea ordinatum legimus neminem.

1583. Ex veteribus, solum à Pontificiis proferri Dionysium, qui Ordinationem Sacramentum dixerit. *Luth. in Cap. Bab.* Lib. 2. contra
Parm. cap. 13. An ergo non sufficit vnus, cum, qui Sacramentum esse negarit, produci possit nullus? veruntamen vanum esse quod asserunt, ex Aug. liquet, cuius hæc sunt verba, *Ipsi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, Sacramentum vero ordinati possit amitti? si enim vtrumq; Sacramentum est (Baptismus & Ordinatio) quod nemo dubitat, cur illud amittitur, & illud non amittitur? neutri Sacramento*

22 2

facienda

Millesexcenti Errores,

facienda est iniuria. Vide an eodem loco, paucissimis verbis, ter Sacramentum appellet Augustinus? Idem alibi frequenter, lib. 2. contr. Parmen. cap. 11. libr. 1. de Baptismo, cap. 1. epist. 50. ad Bonifac. De bon. Coniug. cap. 18. 24.

1584. Præter Augustinum & Dionysium, alios profert posse nullos, qui Sacramentum Ordinationem esse censuerint. Cum, ut verba habent Augustini allegata, de eo nec quisquam dubitauerit quidem.

1585. Vanum esse, quod Pontificij docent, Ordinationem imprimere characterem. At imprimere docent orthodoxi, Aug. in Serm. de gestis, cum Emerito.

1586. Vanitatem characteris vel ex hoc conici, quod singulos ordines, singulos imprimere characteres doceant, ipsoque characterum numero, ipsum excedant numerum Sacramentorum, sup. de charact. Omnes enim ad vnum vltimato referuntur.

1587. Pontificios, Ordinationes suas in rasuris constituere & vncturis. Calumniæ, sup. de Ministro Sacram. Rasuram tamen rem non esse recentem vel inusitatam, ex veteribus liquet. Vide Bellarm.

1588. Vnctionem Sacerdotum, cæremoniam esse inanem & Papisticâ. Atqui Apostolicam esse traditionem, Apostolorum testatur discipulus Dionys. de Eccl. Hierarch. cap. 4. Et quidem cur dedecet, Ministros Christi esse chrysmatos siue vnctos, cum à solo chrysmate dicantur Christi? Vnde Psalmista, *Nolite tangere Christos meos.* Sed & in veteri testamento omnes Sacerdotes fuisse vnctos quis ignorat? *Vos autem,* inquit alibi scriptura, *non estis de genere Christorum Sacerdotum.*

1589. Christum & Apostolos, non fuisse vfos vnctione in ordinandis Ministris. At quo testimonio? Cum frequenter vfos oleo constet ex scripturis? Vnde & Apostolus inquit, *Qui confirmat nos Deus, & qui vnxit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Quod si quis de vnctione interna locum interpretari velit, prohibere quis potest? Vnctionem verò internam per externam designari, quis neget?

*Psal. 104.
Leuit. 8. 16.
2. Maccab. 1.*

2. Cor. 11.

1590. Nullum extare exemplum vñtionis in historiis Eccles. *Kemnit.* Cum eius frequenter meminerit Dionysius lococit. *Metaphrast.* in vit. Chrysoft. apud Surium Tom. 1. Chryfolog. in vit. Seueri, Episc. Rauen. Eaq; non nisi veterum traditione ad nos peruenerit? Idem Pacian. epist. 3. ad Symphorianum. Gregor. Psalm. lib. 4. in libr. Reg. cap. 5. Cypr. libr. de Operib. Cardinalib. & serm. de Chrysmat.

1591. In Ecclesia Græca non fuisse vsum vñtionis vsque ad annum 1200. *Kemnit.* At oppositum patet ex Dionys. supra.

1592. Ritum vñtionis displicuisse antiquis, ac eum tanquã Iudaicam cæremoniam reprehendisse, ex ipso colligi Innocen. 3. qui in c. Cum venisset, de sacr. Vñct. contra antiquos sic scribit, *Non Iudaizat Ecclesia, sicut antiqui mentiuntur, qui neq. scripturas, neq. Dei nouere veritatem.* *Kemnit.* Atqui corruptè legi (*antiqui*) pro (*aliqui*) non est dubium, Cur enim alioquin is ipse Innocentius reprehenderet Græcos ob neglectum illius? Nec vllus vnquã repertus est orthodoxus, qui mentiri veteres Patres, nec nosse Dei verbum & veritatem dixisset.

1593. Ritum Vñtionis Cæremoniam esse Iudaicam, nec magis pertinere ad Christianos, quàm oblationes pecorum. *Cal. lib. 4. Instit. cap. 19. S. 30. 31.* Quasi ipso ritu externo, & non magis sine metiendã sint & intentione cæremonia quacunq;? non enim ideo nihil ad nos pertinet baptisma, quia Iudæi quoq; sua habuerunt baptismata.

1594. Omnes homines, maximè Christianos, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros. *Luth. supr. de Ministr. Sacra.* Mirum si omnes sunt Ministri, qui sint ministrandi? An non posuit Deus quosdam in Ecclesia pastores? quosdam Apostolos? quosdam Doctores? Num omnes Apostoli? num omnes Doctores? &c. 1. Cor. 12. Ephes. 4.

1595. Ordinationem esse iterabilem. *Omnes passim verbo ex facto,* vnde qui apud ipsos hodie sunt Laici, cras derepentè mutatis calceis & manicis sunt Ministri Verbi Domini, postridie rursum Sutores, Sartores & tabernarij, paulò post Superintendentes

Millesexcenti Errores,

gentes & Episcopi. At cur hoc faciant, rationem habent redduntq; nullam, nisi fortè eam, quam Lutherus suos dare docuit discipulos, inquit: *Si Papistici asini rationem quarant, obsecro, aliam ne detis, quam omnes Papas & Papistas esse asinos, Martinum verò Lutherum Doctorem esse, super omnes Doctores in toto Papatu.* Tom. 4. Im Bericht auff zwo fragen.

1596. Vnumquemq; ministerium verbi, si necesse sit, quavis legitimè vocatus non sit, exercere posse. *Luth. Tom. 7. de Instit. Ministr. ad Pragens.* Cum alio loco eiusmodi Ministros Carnifici tradendos contendat, Tom. 3. in Ps. 82. Idem Tom. 1. in cap. 1. ad Gal. Et Tom. 2. in epist. ad Eberhard. à Thañen.

1597. Non esse necessarium, ad legitimam vocationem, ab Episcopis vocari & ordinari. *Luth. Tom. 7. de Miss. priu. & ord. Sac.* Cum nullam aliam legitimam vocationem vnquam post Apostolos in Ecclesia fuisse, ipse agnoscat alibi. Tom. 1. in c. 1. ad Gal.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

1598. Pontificios docere, per Matrimonium ianuam aperiri, occasionemq; dari ad omnem impudiciam. *Erbenius in specul. Iesuit. Et omnes passim.* Nimis sanè impudenter, Cum non solum Matrimonium, thorum immaculatum, sed Sacramentum esse doceant, à Deo institutum & sanctificatum: Nemo sanè vir honestus, id de Pontificiis, suisq; Maioribus, à quibus ortus est, vnquam dixit, vel docuit: Et tamen talia de Pontificiis calumniari & comminisci non verentur?

1599. Pontificios prohibere legitima matrimonia eorum, qui continentiam vouerunt, quàm seruare non possunt. *Idem eo. loc. Falsa omnia.* Neq; enim legitima prohibent, cum ipsi passim celebrent: Neq; legitima eorum sunt aut esse possunt, qui continentiam vouerunt, vt infr. Neq; verum est, quemquam esse hominum, qui si velit, & auxilium Dei postulet, continere nò possit,